

Miscellen.

Vergiliana.

- I. Matrimonium Anna sorori ita commendat, ut dicat (4, 39):
Nec venit in mentem, quorum consederis arvis?
 40 *Hinc Gaetulae urbes, genus insuperabile bello,*
Et Numidae infreni cingunt et inhospita Syrtis,
Hinc deserta siti regio lateque furentes
Barcaei.

Nihil est, cur in reprehensionem vocemus poetam, qui in gentium infestarum numero locorum quoque terriculamenta posuerit, Syrtis scilicet et solitudinis eius, quam desertam siti regionem appellat. Syrtis enim potest illa quidem cum Servio simpliciter intellegi quasi 'inhospita barbara aspera': potest autem, id quod pridem est observatum, gentis alicuius memoria etiam hic substitui, Nasamonum, orae illius accolarum, quos populatores dicit Silius (1, 408; cf. Lucan. 9, 440), quamque nationem 'navigiorum spoliis quaestuosam' fuisse scribit Curtius (4, 31). Porro deserta illa loca Servius vult ea, 'unde non speratur auxilium', fortasse obtrectatorem aliquem poetae redarguens, qui vituperasse videtur, quod ea re terrentem Annam facit, quae praesidio potius ac munimento Carthaginiensibus esse potuit. Sed patet simplicior ratio: coniungamus quam artissime 'desertam regionem' cum 'Barcaeis late furentibus'. Quos cum per deserta illa et advolasse et refugisse veri sit simile, ipsa regionis asperitate et solitudine est factum, ut Carthaginienses minus facile eos aut prohiberent aut persequerentur.

Ad gentes igitur revocare cum liceat regionum terriculamenta, reiectanea est sententia, qua iubemur post *cingunt* (41) statim addere *lateque furentes* (42), secure nimirum consociantes cum vicinis et occidentalibus Numidis orientales longeque remotos Cyrenaeae incolas Barcaeos. Sed est profecto, cur locus sanus existimari nequeat. Displicet enim quam maxime, quod anaphora adverbii *hinc* pessime interrumpitur (nam v. 41 satis testatum est *et Numidae*, non *hinc Numidae*), et hoc ipsum si levius videbitur, illud tamen ferri omnino non potest, quod gentium regionumque illa nomina absque omni ratione nullo ordine profunduntur, cum tamen debeas tibi fingere Annam in dicendo gestu monstratue utentem.

Has turbas alii aliter conati sunt disicere: Nettleshipius adeo auxit. Qui nimium tribuens Isidoro credidit Vergilium v. 43 *Vaccaeos*, non *Barcaeos* nominasse, incolas nimirum urbis Vaccae sive Vagae a Sallustio (Iug. 29. 47. 66), Silio (3, 259), aliis commemoratae. Sed ut omittam Sallustum eos *Vagenses* appellare, non *Vagaeos* sive *Vaccaeos*, sita est illa urbs in Numidia, qua de poeta absolvit iam v. 41. Praeterea tam prope aberat¹ a Carthagine, ut plane ridiculum esset 'late furentes'. Sed vel repulsis illis Vaccaeis manet difficultas. Gaetuli enim a Carthagine spectanti post Numidas sunt, quibuscum ad occidentem versus et meridiem pertinent. Utramque igitur gentem per illud *hinc* uno gestu potest Anna monstrare. Syrtis vero, solitudo, Barcaei contrarium monstratum requirunt: ad orientem et meridiem vergunt. Tamen Syrtis adiungitur Numidis, novus monstrantis gestus ponitur ante eam regionem, unde imminet Barcaei. Hoc tolerari posse nego atque pernego.

Nec iuvamur, si cum Aem. Woernero (in editione Cappesiana) locum ita interpretamur, ut dicamus tria illa, quae per prius demonstrativum coniuncta sunt, pertinere fortasse ad regnum Jarbae, quippe qui sit Gaetulus (v. 326) matremque habeat Garantidem (v. 198). Sed ne sic quidem Syrtis cur commemoretur, satis commode explicatur. Et videtur ipse vir doctus, ut esse solet sobrio cautoque iudicio, sibi diffidere. Facillimo autem negotio omnia ad sanitatem revocabis, si mecum transposueris ita:

- 41 *Et Numidae infreni cingunt et inhospita Syrtis:*
 40 *Hinc Gaetulae urbes, genus insuperabile bello,*
 42 *Hinc deserta siti regio lateque furentes*
Barcaei.

Apte nunc a proximis, quorum terrorem par est primum occupare et loquentis et audientis animum, procedit ad remotos oratio. Duplex *et*, quod antea satis languide adnectebat, nunc, multo sane fortius ac vehementius, disiungit, praeparans simul demonstrativam illam disiunctionem, quae sequitur per *hinc-hinc*: propiora enim enumerat, remotiora demonstrat. *Cingunt* quoque, quod verbum ex tradito versuum ordine debes et proprie cum Numidia Syrtisque ora et translate cum remotissimis Gaetulis et Barcaeis coniungere, nunc ibi tantum legitur, ubi proprio est usu: modo paullo gravius incidas post *Syrtis*.

II. Quod Deiphobum poeta de Helena facit narrantem (6, 518)
flammam media ipsa tenebat

Ingentem et summa Danaos ex arce vocabat,
 hoc pugnat aperte et cum eis, quae in libro altero de excidio Troiae legimus, et cum reliqua fabularum memoria, quae est ante Vergilium. Expedire conatus est Ferd. Noack (Rh. Mus. 48, 430), dicens Deiphobum, quo odio inflammatus erat in Helenam, quae

¹ *Hi longe sunt a Carthagine: unde addidit 'late furentes' Servius secundum cod. Floriac. Hi prope miro errore edidit Thilo: debebat saltem Hi <non> prope.*

susplicari tantum potuisset, ea pro veris dedisse. Faculariam igitur Helenam deberi solius Vergilii arti atque ingenio. Ex Aeneide pendere Tryphiodorum, apud quem et ipsum Helena Graecis χρυσέην ἐπεδείκνυτο πεύκην (512), et quidem iuxta eum, penes quem in vulgari memoria sunt hae partes, Sinonem. Mox tamen insecutus Georg. Knaackius (ib. 632) doctam, quae contra valeret, Schneidewini observationem ab oblivione vindicavit. Qui instructus Hippolyti et Epiphani testimonii demonstravit iam Simonem Magum faculariam Helenam novisse. Huius enim commemorandae occasionem ille habuit, cum mysticis et allegoricis rationibus usus cum Helena Troica suam Helenam impudentissime coniungeret, prostibulum illud Tyrium, quod sanctimoniae arcanae quodam quasi fuce exornatum nebulo versutissimus secum habere solebat numinisque Simonei consortem deam esse voluit. Iam quod ad Iliadem Parvam Schneidewinus Simonis hanc taediferae Helenae memoriam revocavit, in eo eum erravisse satis iam demonstratum est a Knaackio: illud manet, iam ante Vergilium eam habuisse locum in litteris Graecis. Liceat addere, Simonem, cuius de Helena narrat etiam Justinus Martyr (apol. 26), fuisse 'Graecis litteris liberalibus apprime eruditum', ut scriptum est in recogn. Clem. 2, 7 (cf. 2, 5), cui loco addas, quae de studiis eius Alexandrinis leguntur in homil. 2, 22. Nihil igitur miri habebit, quod repperi Stesichoreae quoque Helenae famam ad Simonem pervenisse, si quidem affirmavit: *Lunam* (i. e. Helenam), *quae secum esset, esse de superioribus caelis deductam eandemque cunctorum genetricem Sapientiam, pro qua, inquit, Graeci et barbari confligentes imaginem quidem eius aliqua ex parte videre potuerunt, ipsam vero, ut est penitus, ignoraverunt, quippe quae apud illum primum omnium et solum habitaret Deum* (recogn. 2, 12). Esse haec ab eo 'Ἐλληνικοῖς μύθοις συμπεπλάσμενα legimus in hom. 2, 25; cf. epitom. 27. Ipsius autem Stesichori mentionem infert Simo apud Tertullianum (de anim. 34): *Etiam illam Helenam fuisse excitiosissimam Priamo et Stesichori postea oculis, quem excaecasset ob convicium carminis, dehinc reluminasset ob satisfactionem laudis*.

Cum igitur de Stesichori Helena quae exstant apud veteres minime ignorasse certum sit Simonem nec abhorreat a veri similitudine eius aetate vel in trivialibus studiis plura atque accuratiora de Stesichoro quam hodie tradi et propagari solita esse, coniecero singulare illud, quod est de Helena taedifera, redire ad ipsum poetam Himeraeum. Epiphanium enim, qui Homeri potius nomen profert, solus si quid video in testibus satis multis (καὶ τοῦτου ἔνεκεν ἀναγκάζεται αὐτὴν διαγράφειν "Ὀμηρος ἐπὶ πύργου ἔστηκέναι καὶ διὰ λαμπάδος ὑποφαίνειν τοῖς "Ἐλλῆσι τὴν κατὰ τῶν Φρυγῶν ἐπιβουλήν 1, 21, 3) in aperto est Homeri nomen de suo hic quoque dedisse, postquam paullo ante dixit: αὕτη γὰρ ἔστιν ἡ ἔννοια ἡ παρ' Ὀμήρῳ Ἐλένη καλουμένη.

Sed de auctore facta coniectura licebit fortasse etiam de ipsa re quaedam proponere, probabilitate, ut mihi videtur, non

prorsus destituta. Dixerim enim Helenam funesta face exitio praelucentem nescio quo pacto cohaerere cum populari illa superstitione, quae vulgo pertinet ad 'fratres Helenae lucida sidera'. Et Dioscuri quidem, ubi eorum 'alba nautis stella refulsit' tempestatem componunt, nautis sunt salutiferi. Helenam contra, quam pulchre Aeschylus dixit ἑλέναυν ἑλανδρον ἑλέπτολιν, verisimile est, si lucebat nautis (sive stellae instar sive quid aliud est divi luminis) minime salutem, sed exitium tulisse. Hanc quondam fuisse opinionem testis est scholiographus ad Eurip. Orest. v. 1636. Quod enim Euripides hoc loco Helenam una cum fratribus ναυτίλοις σωτήριον vocat, docet ille in hac re poetam recessisse a vulgari opinione. Propter hoc ipsum σεσημειοῦσθαι a grammaticis locum Euripideum. Sosibium enim contrarium tradidisse de Helena, οὐκ εὐμενῶς αὐτὴν ἐπιφαίνεσθαι (misere est truncata de eadem re observatio Polemonis; cf. FHG 3, 137 no. 76a). Ex hac igitur superstitione hausisse Stesichorum suum illud de Helenae exitiosa face eo magis mihi arridet coniectura, quo saepius mihi persuasi Stesichoreae artis id quam maxime fuisse proprium, ut tralaticiis Epicorum coloribus aliquid quasi recreationis adspargeret ex popularis memoriae ignobili quidem, sed puro castoque fonte.